

The Arundelian Constitutions of 1408, against the Lollards.

From the edition of David Wilkins, *Concilia Magnae Britanniae et Hiberniae, ab Anno MCCCL ad Annum MDXLV. Volumen Tertium* (London, 1737), pp. 314-19.

*Constitutiones domini Thomae Arundel, Cantuariensis archiepiscopi, factae in convocatione praelatorum et cleri Cantuariensis provinciae, in ecclesia cathedrali S. Pauli London. incepta 14. die mensis Januarii, A. D. M.CCCC.VIII. et translationis suae an. xiii. contra haereticos **. Ex reg. Arundel II. fol. 10. et MS. Eli. 235. et MS. Lamb. 17.

THOMAS, permissione divina Cantuariensis archiepiscopus, totius Angliae primas, et apostolicae sedis legatus, universis et singulis venerabilibus fratribus coepiscopis, et suffraganeis nostris, abbatibus, et prioribus, ecclesiarum cathedralium decanis, archidiaconis, praepositis, et canonicis, ecclesiarum parochialium rectoribus, vicariis, et capellanis, ac clericis et laicis quibuscumque per nostram Cantuariensem provinciam ubilibet constitutis, salutem, et doctrinæ (^a sanctae matris) ecclesiae firmiter inhaerere. Reverendissimae synodo injuriam fecisse dignoscitur, qui semel ibidem discussa atque diffinita revolvit; et cum quis de principali terreno judicio disputare praesumens, sacrilegii poenae subjicitur, prout civilis sapientiae et legis humanae manifeste tradit auctoritas; multo magis qui praecepta legum et canonum ab aeternae vitae et mortis clavigero, vicem non puri hominis, sed veri Dei gerente in terris, et cui ipse Deus caelestis imperii jura commisit, rite edita, canonice promulgata, ac etiam a sanctis patribus praedecessoribus nostris, usque ad gloriosam sanguinis effusionem, et cerebri voluntariam sparsionem firmiter observata, suae innitentes prudentiae, temerarie violare praesumunt, ac eisdem doctrinis variis contraveniunt, ipsaque verbis et factis contemnunt, sunt pena graviori plectendi, ac tanquam membra

putrida a corpore militantis ecclesiae celeriter abscondendi. Considerare enim deberent, quod in Antiquo traditur Testamento, Moyses et Aaron in sacerdotibus ejus, id est, primi inter eos fuerunt; ac in Novo inter apostolos discretio quae-dam fuit, et licet omnes essent apostoli, Petrus tamen a Domino concessum est, et ipsi apostoli inter se voluerunt id ipsum, ut reliquis omnibus praeesset apostolis, et dictus Cephas, id est, caput, principatum apostolorum teneret, cui dictum est, "Tu aliquando conversus, confirma fratres tuos"; quasi diceret, si dubium inter eosdem emergerit, ipsorumve aliquis in via fidei, justitiae, morum, aut (^b rectae) conversationis erraverit, tu ipsum confirmes in bono; quod profecto non dixisset Dominus, si alios sibi minime decreverit obedire.

Scimus tamen, et, quod dolenter referimus, indies experimur, quod antiquus sophista christiani nominis inimicus, praescius quod sana doctrina ecclesiae ^c, a sanctis patribus antiquitus terminata, suis malitiis obviaret, si populum Dei in unitate fidei sub uno capite (^d et ecclesia) praeservet, ipsam doctrinam mediis excogitatis nititur extirpare; vitia mentitur esse virtutes, et sic per mentita suffragia inter populum catholicum emitit discordias, ad effectum, ut aliis sic aliisque sic abeuntibus, ecclesiam malignantium ^e sibi constituere poterit ab universalis sancta

* MS. Eli. ad A. C. M. CCC. VII. concilium hoc remittit. Constitutiones haec in provinciali concilio Oxonii habito editae, et deinde repetita promulgatione in concilio hoc Londinensi sanctitatem fuerunt. ^a deest E.
deest L. ^c ecclesiis E. ^d deest L. ^e sic L.

matre ecclesia nequiter discrepantem; in qua ipse Sathanas in angelum lucis se transformans, praetensam stateram gestans in manu, summam aequitatem praetendit, dum sanctae matris ecclesiae doctrinam pristinam, observantiasque ejusdem a sanctis patribus terminatas et traditas, sub certis fictitiis iuadeat fore perversas, et alia nova docenda, quae secundum mendaciorum suorum ficticias magis inducent bonum, licet ipse in veritate bonum non velit, aut cogitet, sed ut schisma seminet, et opinionibus variis atque contrariis in ecclesia fuscitatis, fides minatur hinc inde, ac Paganis, Judaeis, et aliis incredulis et perversis, ex hujusmodi verborum certamine profanentur (^f veneranda) divina mysteria; sique verificatur illa figura Apocal. "Sedens in equo nigro stateram gestat in manu": per quam intelliguntur haeretici, qui primo ad instar staterae aequa et justa propnunt, ut audientium corda ad se allicant; sed postea apparet equus niger, intentio videlicet in qua resident maledicta; ^g ipsi namque sub diversa facie et effigie justae staterae cum cauda equi nigri, haereses et ^h errores spargentes, percutiunt venenosí, atque sub specie boni infinita scandala fuscitant, et per electas ad malum personas ipsa in populo nequiter publicantes, tanquam mellis dulcedinem veneno (ut sumatur libentius) immiscentes, per subtilitates obliquas causant, ut error, veritas; nequitia, sanctitas et Christi voluntas simulentur. Sed et ipsae, proh dolor! personae sic electae ante praedicant, quam mittantur, et ante seminare presumunt, quam ipsum semen a palea discreto examine separetur; prohibitions et decreta canonum contra hujusmodi pestilentes seminatores provide promulgata minime ponderantes, victimam, ut ita ⁱ loquamur, diabolicam sanctae militantis ecclesiae obedientiae anteponunt.

Nos igitur considerantes, quod error, cui non resistitur, approbari videtur, et nimis late pandit sinum, qui viperæ ibidem venenum conantis effundere non resistit; volentesque de pedibus nostris excutere pulverem, ac sanctae matris ecclesiae honori prospicere, unamque sanctam doctrinam in ecclesia Dei, et praesertim in nostra Cantuariensi provincia, quatenus nobis cum Deo possibile fuerit, seminari debere, ad ^k augmentum fidei et cultus divini, eradicatis primitus zizaniis, ac malis, et scandalis, quae ratione perversae praedicationis et doctrinae insanae hucusque orta sunt, et plus verisimiliter oriri poterunt infuturum, via convenienti atque possibili obviare, et animarum periculis, quae praemissorum praetextu novimus ^l provenisse, providere celeriter, necnon et omnia removere obstacula, per quae haec nostra provisio poterit impediri; de consilio et ^m assensu omnium suffraganeorum nostrorum, et aliorum praelatorum in hac cleri convocatione praesentium, et procuratorum absentium, atque ad instantem petitionem procuratorum totius cleri nostrae Cantuariensis provinciae, in ubiorem ⁿ fortificationem juris communis in hac parte editi,

poenas adjicientes condignas et infrascriptas, statuimus, decernimus, et ordinamus.

I. *Constitutio. Quod nullus praedicet absque licentia, nisi persona fuerit in jure privilegiata.*

Quod nullus secularis (^p aut regularis) ad praedicandum verbum Dei a jure scripto minime auctorizatus, privilegio speciali munitus, officium sive exercitium praedicationis ejusdem verbi Dei in se assumat, populove aut clero quovismodo praedicet, in Latino sermone, seu vulgari, in ecclesia, aut extra, nisi primo dioecesano illius loci, in quo ^q sic praedicare nititur, se praesentet, et examinationem subeat; sique deinde tam moribus, quam scientia repertus idoneus, per ipsum dioecesanum ad praedicandum mittatur ad aliquam certam parochiam, vel ad plures, prout eidem ordinario secundum qualitatem personae videatur expediens; nec etiam aliquis praemissorum praedicare presumat, nisi de ^r missione seu auctorizatione sua primo fiat fides in forma competenti; ita videlicet, quod ille, qui de jure scripto auctorizatus est, veniat in forma limitata in eo; et qui de privilegio speciali venire se ^s afferunt, privilegium ipsum rectori, aut vicario loci, ubi praedicant, realiter exhibeant; qui vero per locorum dioecesanos se missos fore praetendunt, ipsius dioecesani literas, sub sigillo suo magno ad hoc sibi confectas, similiter ostendant: curatum vero perpetuum missum intelligimus a jure ad locum et populum curae suae. Si tamen praemissorum quisquam propter errores aut haereses, quos ante forsan praedicasse, afferuisse, aut docuisse praetenditur, per loci dioecesanum aliumve superiorem a praedicatione hujusmodi suspensus fuerit, sive prohibitus, extunc de praedicando alicui in nostra provincia antedicta se nullatenus intromittat, donec ad ipsius suspendentis sive prohibentis justum arbitrium defectum suum purgaverit, et ad praedicandum legitime fuerit restitutus; super quo, literas testimoniales ipsius restituentis ad locum quemcunque, in quo postea praedicabit, secum deferre, et modo supradicto exhibere realiter tenetur. Sacerdotes vero parochiales, sive vicarii temporales, et non perpetui, in forma supradicta non missi, in ecclesiis illis, in quibus officia hujusmodi gerunt, illa sola simpliciter praedicent, una cum precibus consuetis, quae in constitutione provinciali a bonae memoriae Johanne, praedecessore nostro, bene et sancte in supplicationem ignorantiae sacerdotum edita, quae incipit, "Ignorantia sacerdotum", continentur expresse; quam in singulis ecclesiis parochialibus nostrae Cantuariensis provinciae, infra tres menses post publicationem praesentium fieri volumus, et prout ipsa postulat, annis et temporibus singulis per ipsos sacerdotes effectualiter declarari. Et ne hoc salubre statutum ratione exactionis pecuniae, difficultative alterius tendere videatur ad noxam; volumus et ordina-

^f Deest L.
^m consensu L.
^g deest E.

^g ipsa E.
ⁿ certificationem E.
^r dimissione et E.

^h spargentis E. R.
^o afferat L.

ⁱ diacamus E.

^o Titulus deest R. et L. habet E.

^l pervenisse E.
^p deest E.
mus,

mus, quod examinatio personarum, de qua superius fit mentio, ac literae dioecesani facienda eisdem sine aliquali exactione pecuniae, per ipsos, quorum interest, et ad quos spectare et pertinere dignoscitur, celeriter expediantur, et gratis, difficultate quacunque semota. Si quis autem hoc nostrum antiqui juris executum statutum post publicationem ejusdem scienter violare praesumpserit, contra formam in eodem descriptam, sua temeritate propria praedicando, sententiam excommunicationis majoris incurrat ipso facto, cuius absolutionem nobis et successoribus nostris tenore praesentium specialiter reservamus. Quodsi hujusmodi praedicator, hoc salubri statuto contempto, ipsamque majoris excommunicationis sententiam minime ponderans, se secundo ingesserit, praedicando, docendo, afferendo, pertinaciterve verbo aut facto innuendo, non posse per ecclesiam in personis praelatorum ejusdem sic statui, sententia excommunicationis praedicta per superiores locorum aggravetur debite contra eos, et inhibeat " eisdem " omnis communio Christi fidelium, ac super hoc legitime convicti, nisi resipiscant et abjuraverint in forma ecclesiae consueta, per loci ordinarium pro haereticis declarantur, et extunc pro haereticis et schismatis ab omnibus reputentur, ad omnem juris effectum, haeresisque et schismatis poenas in jure expressas incurvant ipso facto; et praesertim ut bona eorundem ipso jure censeantur confiscata, et ab illis, quorum interest, occupentur; ipsorumque fautores, receptatores, et defensores, si per superiores suos in hac parte legitime moniti, non destiterint, infra mensem super hoc convicti, simili in omnibus poena percellantur.

II. Constitutio. De poena admittentium praedicare absque literis ^x.

Praeterea nullus clericus aut populus cuiuscunque parochiae aut loci nostrae Cantuariensis provinciae, aliquem in ecclesiis, coemeteriis, aut locis aliis quibuscumque ad praedicandum admittat, nisi prius de auctorizatione, privilegio, aut missione ejusdem, juxta formam supradictam fuerit facta fides; alioquin ecclesia, coemeterium, seu locus quiscumque, in quo sic praedicatum fuerit, ipso facto ecclesiastico subjaceat interdicto, sique maneat interdictus, quousque ipsi sic admittentes seu praedicare permittentes, se congrue emendaverint, et per loci dioecesanum (^y seualium superiorem) ipsum interdictum obtineant, in debita juris forma relaxari.

III. Constitutio. Quod praedicator conformet se auditorio, aliter puniatur ^z.

Insuper, sicut bonus paterfamilias triticum spargit in terram ad hoc dispositam, ut frumentum plus afferat; volumus et mandamus, ut

praedicator verbi Dei veniens juxta formam superius annotatam, in praedicando clero sive populo, secundum materiam subjectam se honeste habeat, spargendo semen secundum convenientiam subjecti auditorii; clero praesertim praedicans de vitiis pullulantibus inter eos, et laicis de peccatis inter eos communiter usitatis, et non e contra; alioquin sic praedicans secundum qualitatem delicti, per loci ordinarium canonice et acriter puniatur.

IV. Constitutio. De poena temere disputantium de sacramento altaris, et aliis sacramentis, contra determinationem ecclesiae ^a.

Item, quia turpis est pars, quae non convenit suo toti, decernimus et ordinamus, ut nullus hujusmodi praedicator, aut alia quaevis persona de sacramento altaris, matrimonio, peccatorum confessione, aliove quocunque sacramento ecclesiae, seu fidei articulo aliter doceat, praedicet, aut observet, quam quod per sanctam matrem ecclesiam reperitur discussum, nec vertat in dubium, quod per ecclesiam ^b terminatum fuerit aut decisum, nec verba scandalosa circa eadem scienter proferat publice vel occulte, neque sectam aut speciem haeresis quamcunque praedicet, doceat, vel observet, contra sanam ecclesiae doctrinam. Qui autem contrarium post publicationem praesentium scienter et pertinaciter attemptare praesumpserit, excommunicationis sententiam ipso facto incurrat; a qua, excepto mortis articulo, minime absolvatur, nisi abjuratione praemissa de haeresi generaliter vel simpliciter in forma ecclesiae consueta, ad arbitrium ordinarii, in cuius territorio convincitur delinquisse, se correxerit, et de ac pro commissis poenitentiam recipiat salutarem. Quodsi secundo se ingesserit, recidivaverit, seu relapsus fuerit, convictus legitime, pro haeretico et relapso sententialiter declaretur, et ipsius bona pro confiscatis habeantur, et ab illis, quorum interest, occupentur. Poenitentiam vero, de qua superius fit mentio, volumus esse talem, quodsi quis contrarium determinatis per ecclesiam, videlicet in decretis, decretalibus, seu constitutionibus nostris provincialibus, quamcunque vel haeresis speciem sive sectam publice vel occulte docuerit, praedicaverit, sive asseruerit, in ecclesia parochiali ipsius loci, in quo sic praedicaverit, asseruerit, sive docuerit, uno die dominico aut alio solenni, pluribusve, ad ipsius ordinarii arbitrium, prout magis aut minus convincitur delinquisse, ipsa sic praedicata, docta, sive affirmata revocabit expresse infra missarum solennia, cum major populi affuerit multitudo, et ipsa determinata per ecclesiam, praedicabit, docebit, et recitabit effectualiter sine fraude, ulteriusque punietur juxta sui demeriti qualitatem, quatenus discretioni ordinarii videbitur expedire.

V. Constitutio.

^x Personas E. L. ^y contra eos L. ^z omnino E. ^a Tit. in MS. Lamb. ita: Ne quisquam admittatur ad praedicand. in ecclesiis, coemeteriis, vel aliis locis quibuscumque, nisi auctorizatus, vel alio modo de jure admissus, de cuius admissione fiat fides in forma supradicta. ^b Tit. in MS. Lamb. ita: Quod admissi ad praedicandum in forma praescripta, auditorio debeant se conformare in materia praedicta. ^c Tit. in MS. Lamb. ita: Ne aliqui praetendant de sacramento altaris, vel matrimonii, quocunque sacramento ecclesiae aliter praedicare, quam per matrem ecclesiam decisum reperitur. ^d determinatum E.

V. *Constitutio.* *Ne magistri in artibus vel grammatica intromittant se de sacramentis pueros suos instruendo.*^c

Similiter, quia id quod capit nova testa inveterata sapit, statuimus et ordinamus, quod magistri sive quicunque docentes in artibus, aut grammatica, pueros, seu alios quoscunque in primitivis scientiis instruentes, de fide catholica, sacramento altaris, seu aliis sacramentis ecclesiae, aut materia aliqua theologica, contra determinata per ecclesiam, se nullatenus intromittant instruendo eosdem; nec de expositione sacrae scripturae, nisi in exponendo textum, prout antiquitus fieri consuevit; nec permittant scholares suos sive discipulos de fide catholica, seu sacramentis ecclesiae publice disputare etiam vel occulte: contrarium autem faciens, ut fautor^d errorum, et schismatum, per loci ordinarium graviter puniatur.

VI. *Constitutio.* *Ne quis librum, vel tractatum aliquem Jo. Wycliff legat, antequam examinetur.*^e

Quia insuper nova via frequentius seducit, quam antiqua, volumus et mandamus, quod nullus libellus sive tractatus per^f Johannem Wycliff, aut alium quemcunque tempore suo, aut citra noviter compositus, sive in posterum componendus, amodo legatur in scholis, aulis, hospitiis, seu aliis locis quibuscunque infra nostram provinciam antedictam, sive secundum ipsum doceatur, nisi per universitatem Oxonii aut Cantabrigiae, seu saltem duodecim personas ex eisdem, quas eadem universitates aut altera earundem, sub nostra, successorumve nostrorum discretione laudabili duxerint eligendas, primus examinetur, et examinatus unanimiter per eosdem, deinde per nos seu successores nostros expresse approbetur, et universitatis nomine ac auctoritate stationariis tradatur, ut copietur; et facta collatione fidi, potentibus vendatur justo pretio sive detur, originali in cista aliqua universitatis extunc perpetuo remanente. Quod si quis libellum vel tractatum hujusmodi in scholis vel alibi, ut supra, legerit, sive secundum ipsum docuerit, contra formam supradictam, ut seminator schismatis atque fautor haeresis puniatur, prout delicti qualitas flagitabit.

VII. *Constitutio.* *Ne quis texta S. scripturae transferat in linguam Anglicanam.*^g

Periculosa quoque res est, testante beato Jeronymo, textum sacrae scripturae de uno in aliud idioma transferre, eo quod in ipsis translationibus non de facili idem in omnibus sensus

^c MS. Lamb. ita tit. habet: *Quod informatores quicunque non permittant suos scholares in primitivis scientiis studentes, de fide catholica disputare.* ^d *haeresis, erroris E.* ^e Tit. in MS. Lamb. ita: *Ne libellus aliquis sive tractatus compositus per mag. Jo. Wycliff legatur vel doceatur de caetero in locis quibuscunque, nisi penitus fuerit approbatus in forma suprascripta.* ^f *magistrum E.* ^g Tit. in MS. Lamb. ita: *Ne textus aliquis S. scripturae in linguam Anglicanam de caetero transferatur per viam libri aut tractatus.* ^h *dicta E.* ⁱ *graviter E.* ^k *Ne quis, cujuscunque gradus sive status fuerit, conclusiones sive propositiones aliquas contra sanam doctrinam ecclesiae pertinaciter in scholis teneat aut defendat.* Ita MS. Lamb. ^l *aliter E.* ^m *quae E.* ⁿ *sanc&to L.* ^o *excommunicatus E.* ^p Tit. in MS. Lamb. ita: *Ut nullus disputare audeat de articulis per ecclesiam terminatis, nisi prout in decretis, decretalibus, et constitutionibus synodalibus continetur.*

retinetur, prout idem beatus Jeronymus, eis inspiratus fuisset, se in hoc saepius fatetur errasse; statuimus igitur et ordinamus, ut nemo deinceps aliquem textum sacrae scripturae auctoritate sua in linguam Anglicanam, vel aliam transferat, per viam libri, libelli, aut tractatus, nec legatur aliquis hujusmodi liber, libellus, aut tractatus jam noviter tempore dicti Johannis Wycliff, sive citra, compositus, aut in posterum componendus, in parte vel in toto, publice, vel occulte, sub majoris excommunicationis poena, quousque per loci dioecesanum, seu, si res exegerit, per concilium provinciale^h ipsa translatio fuerit approbata: qui contra fecerit, ut fautor haeresis et errorisⁱ similiter puniatur.

VIII. *Constitutio.* *Quod ne quis conclusiones, propositiones, bonis moribus adversantes, afferat.*^k

Praeterea, cum terminis philosophicis sive^l alias humanitus adinventis concludi non poterit omnium terminator, beatusque Augustinus veras conclusiones,^m quia religiosorum aurium fuerant offensivae, saepius revocavit; statuimus, et sub obtestatione divini judicij speciaffissime inhibemus, ne quis, vel qui, cujuscunque gradus, status, aut conditionis existat, conclusiones aut propositiones in fide catholica seu bonis moribus adverse sonantes, praeter necessariam doctrinam facultatis suae, in scholis, aut extra, disputando aut communicando, protestatione praemissa vel non praemissa, afferat vel proponat, etiamsi quadam verborum aut terminorum curiositate defendi possint: nam testeⁿ beato Hugone, de sacramentis, "Saepius quod bene dicitur, non bene intelligitur." Siquis autem post publicationem praesentium hujusmodi conclusiones aut propositiones convictus fuerit scienter proposuisse sive afferuisse, nisi monitus se correxerit infra mensum, auctoritate praesentis constitutionis, sententiam majoris excommunicationis incurrat ipso facto, et pro^o excommunicato publice nuncietur, donec in loco, ubi sic proposuit, aut afferuit, suum delictum publice fateatur, et verum catholicum intellectum ejusdem conclusionis sive propositionis, ad arbitrium ordinarii publice praedicaverit in una ecclesia aut diversis, prout ipsi ordinario expedire videbitur.

IX. *Conclusio.* *Ut nullus disputet de articulis per ecclesiam determinatis, nisi ad verum intellectum habendum.*^p

Nullus quoque de articulis terminatis per ecclesiam, prout in decretis, decretalibus, et constitutionibus nostris provincialibus, sive locorum synodalibus continetur, nisi ad habendum verum intellectum eorundem, et hoc ex-

^e Tit. in MS. Lamb. ita: *Ne libellus aliquis sive tractatus compositus per mag. Jo. Wycliff legatur vel doceatur de caetero in locis quibuscunque, nisi penitus fuerit approbatus in forma suprascripta.* ^h *dicta E.* ⁱ *graviter E.* ^k *Ne quis, cujuscunque gradus sive status fuerit, conclusiones sive propositiones aliquas contra sanam doctrinam ecclesiae pertinaciter in scholis teneat aut defendat.* Ita MS. Lamb. ^l *aliter E.* ^m *quae E.* ⁿ *sanc&to L.* ^o *excommunicatus E.*

presso, publice aut occulte disputare praesummat, aut auctoritatem eorundem decretorum, decre-talium, aut constitutionum, potestatemve con-dentis eadem in dubium revocet, sive contra determinationem eorundem doceat, et praeser-tim circa adorationem crucis gloriosae, imagi-num, sanctorum venerationes, seu peregrinatio-nes ad loca, aut reliquias eorundem, aut contra juramenta in utroque foro, ecclesiastico vide-liset et temporali, in casibus consuetis et more solito praestanda; sed ab omnibus deinceps com-muniter doceatur atque praedicitur, crucem et imaginem crucifixi, caeterasque imagines san-ctorum, in ipsorum honorem et memoriam, quos figurant, ac ipsorum loca et reliquias, processionibus, genuflexionibus, inclinationibus, thurificationibus, deosculationibus, oblationibus, luminarium accensionibus, et peregrinationibus, necnon aliis quibuscunque modis et formis, qui-bus nostris et praedeceßorum nostrorum tempo-ribus fieri consuevit, venerari debere; atque juramenta tactis sacrosanctis Dei evangelii, et super ipsis in casibus, in jure expressis, et in utroque foro usitatis, ab omnibus, quorum inter-est, legitime fore praestanda: contrarium autem asserens, docens, praedicans, aut perti-naciter innuens, nisi resipiscat sub modo et forma praedictis, et abjuret, ut supradictum est, poenas haeresis et relapsi in ⁹ eventum incurrat, et pro tali ad omnem juris effectum sen-tentialiter declaretur.

X. Conclusio. *Quod nullus capellanus celebret in provincia Cant. absque literis testimonialibus¹.*

Statuimus etiam et decernimus, ut nullus capellanus admittatur ad celebrandum in aliqua dioecesi nostraræ Cantuariensis provinciae, in qua ordinandus sive ordinatus non fuerit, nisi deferat secum literas ordinum suorum, atque literas commendatitias dioecesani sui, et nihilominus aliorum episcoporum, in quorum dioecesi interim per magnum tempus conversatus fuerit; in quibus expresse caveri volumus et mandamus, de moribus et conversatione ejusdem, et an sit diffamatus de, et super aliquibus novis opinio-nibus, in fide catholica aut bonis moribus male sapientibus, vel sit de eisdem omnino immunis; alioquin tam ipse celebrans, quam ipsum sic celebrare ² permittentes, ad arbitrium ordinarii acriter puniantur.

XI. Conclusio. *Quod in universitate Oxon. fiat inquisitio quolibet mense, per principales³.*

Finaliter, quia ipsa, quae de novo et in-solite emergunt, novo et maturo indigent auxi-lio; et ubi majus est periculum, ibi cautius est providendum, et fortius resistendum, nec injuste minus nobile discrete ⁴ abscinditur, ut quod nobilis est perfectius nutriatur: considerantes igitur, sed dolenter referentes, quomodo alma ⁵ universitas Oxon. quae, sicut vitis abundans

suos palmites fructuosos, ad honorem Dei, mul-tiplicemque profectum, et ⁶ protectionem eccl-e-siae suae consuevit extendere, jam partim versa in labruscas, uvas aceras gignit, quibus indis-crete comeditis a patribus, in lege videlicet Dei reputantibus se peritos, dentes obstupescunt fili-orum, nostraque provincia vatiis et infructuosis doctrinis inficitur, ac novo et damnabili Lol-lardiae nomine maculatur, in ipsius universi-tatis scandalum non modicum, ad partes exter-eras et remotas extensem, et ⁷ proficiscentium in eadem per maximum taedium, necnon et ec-clesiae Anglicanae, quae per virtuosam doctri-nam ejusdem, tanquam muro inexpugnabili de-fendi solebat, jam scissis et divisis lapidibus, nisi celerius occurratur, secundum verisimile, irrecu-perabile damnum. Ad supplicationem igitur procuratorum totius cleri nostraræ Cantuariensis provinciae, consensuque et assensu omnium con-fratrum et suffraganeorum nostrorum, ac alio-rum praelatorum in hac convocatione praesentium, et procuratorum insuper absentium, ne purgato rivulo maneat fons infectus, et aquam ab eo currentem non sinat esse claram; volentes honori et utilitati sanctae matris ecclesiae, et universitatis praedictae salubriter providere, sta-tuimus et ordinamus, quod quilibet gardianus, praepositus, sive custos collegii, aut principalis aulae, vel introitus cujuscunque universitatis praefatae, semel singulis mensibus ad minus in-quirat diligenter in collegio, aula, sive introitu, cui praeest, an aliquis scholaris, sive inhabitans in collegio, aula, sive introitu hujusmodi, ali-quam conclusionem, sive propositionem, aut opinionem in fide catholica, aut bonis moribus male sonantem, aut contra determinationem eccl esiae, praeter necessariam doctrinam faculta-tis suae, asseruerit, tenuerit, defensaverit, seu aliquo modo proposuerit; et si aliquem super hoc suspectum aut diffamatum reperiat, ipsum moneat effectualiter, ut desistat: et si post ac contra monitionem hujusmodi, iterato eadem vel consimilia reassumat, praeter poenas supra-dictas, majoris excommunicationis sententiam in-currit ipso facto; et nihilominus si scholaris fuerit, qui sic reassumit, quicquid extunc in eadem universitate fecerit, non stet sibi pro forma; et si doctor, (⁸ magister) aut bacalarius fuerit, eo ipso ab omni actu scholastico sit suspensus; et in utroque casu jus, quod habet in eodem collegio, aula, sive introitu, amittat ipso facto; et per ipsos gardianos, custodes, praepositos, principales, seu alios, ad quos hoc spectat, realiter expellatur, et statim via legiti-ma substituatur catholicus loco suo; et si ipsi gardiani, praepositi, seu custodes collegiorum, aut principales aularum sive introitum, in quibus degunt hujusmodi personae suspectae, detectae, aut diffamatae, negligentes fuerint circa inquisitiones aut executiones praedictas, per decem dies continuos, a tempore notitiae verae vel praesumptae publicationis praesentium, eo ipso sententiam majoris excommunicationis

¹ Forte errorem. ² Tit. in MS. Lamb. ita: Nullus capellanus admittatur ad celebrandum in aliqua eccles. Cant. prov. absque literis dioecesani ubi fuerit oriundus. ³ admittens E. ⁴ Tit in MS. Lamb. ita: Gardiani et praepositi et principales universitatis Oxon. semel singulis mensibus inquirant de moribus suorum scholarium. ⁵ re-scinditur E. ⁶ mater E. addit. ⁷ perfectionem E. ⁸ proficientum MSS. ⁹ deest E.

incurrant, et nihilominus omni jure, quod in ipsis collegiis, aulis, sive introitibus se habere praetendunt ipso facto sint privati, et ipsa collegia, aulae, vel introitus effectualiter vaccent; et facta super hoc legitima declaratione per ipsos, quorum interest, novi substituantur gardiani, custodes, praepositi, sive principales, prout secundum antiquum morem universitatis praedictae, vacantibus collegiis, aulis, sive introitibus, fieri consuevit. Quodsi ipsi custodes, praepositi, gardiani, sive principales praedicti, de et super hujusmodi conclusionibus aut propositionibus diffamati, suspecti fuerint, aut detecti, seu defensores, protectores, aut fautores eorundem; si per nos vel auctoritate nostra, per ordinarium loci aut auctoritate sua moniti non desistant, extunc omni privilegio scholastico universitatis praedictae, et jure, quod sibi competit in hujusmodi collegio, aula, sive introitu, praeter alias poenas, de quibus supradictum est, ipso jure preventur, et sententiam insuper majoris excommunicationis praedictam incurrant.

XII. Constitutio. De poena contra facientium, et infringientium statuta praemissa^a.

Quodsi quis in aliquo casu praesentis ultimae constitutionis aliove quocunque superius expressato, statuta nostra hujusmodi in aliqua sui parte, etiamsi poena alia expresse ibidem limitetur, temere et pertinaciter violare praesumpserit, eo ipso, ad quocunque beneficium ecclesiasticum in nostra Cantuariensi provincia obtinendum, per triennium extunc absque spe veniae reddatur inhabilis, et omnino indignus; et nihilominus juxta singula sua demerita et qualitatem excessus, secundum sui superioris discretionem canonice puniatur.

XIII. Constitutio. De modo procedendi in casibus praenotatis, et articulis memoratis^b.

Adhaec, ne in modo procedendi circa praemissa vagari videatur sub incerto, adverten-

tes, quod, licet inter crimen haeresis et laesa maiestatis in legibus diversis quaedam paritas reputetur, est tamen dissimilis culpa, poenamque exigit gravorem, divinam quam humanam offendere maiestatem. Cum ergo reum laesa maiestatis propter pericula, quae ex dilatione poterint imminere, sufficiat convincere per iudicia, procedique poterit contra eum summarie et de plano, ac citatione praemissa per nuncium, per literas, sive per edictum, et lite non contestata, ad testium receptionem et diffinitivam sententiam; volumus, ordinamus, et declaramus, ob faciliorem punitionem delinquentium in praemissis, et reformationem scissurae ecclesiae ex hoc laesae, quod diffamati, detecti, sive denunciati, sive vehementer suspecti in aliquo casuum praedictorum, sive alio articulo quocunque in fide catholica aut bonis moribus male sonante, auctoritate loci ordinarii, alteriusve superioris citentur personaliter, si apprehendi poterunt, per literas sive per nuncium publicum juratum; sin autem per edictum, ad locum habitationis ipsius delinquentis, ubi morari communiter consuevit, et in ecclesia sua parochiali, si certum habuerit domicilium, publice propositum; alioquin in ecclesia cathedrali loci originis suae, et in ecclesia parochiali ipsius loci, in quo sic praedicavit, et docuit; ac recepto certificatorio legitimo de citatione hujusmodi executa, contra sic citatum etiam absentem et comparere negligentem, in poenam contumaciae suae hujusmodi summarie et de plano, absque strepitu et figura judicii, ac lite non contestata, ad testium receptionem, et alias probations canonicas procedatur; habita quoque informatione legitima, idem ordinarius, omni dilatione semota, sententiet et declaret, puniatque secundum qualitatem delicti, modo et forma superius expressatis, ulteriusque faciat quod est justum, ipsius contumacis absentia non obstante. Datae Oxonii.

Papae Rom.
GREGOR. XII. 3.

Archiep. Cant.
THO. ARUNDEL 13.

Anno Christi
1408.

Reg. Angliae
HENRIC. IV. 10.

Convocatio cleri provinciae Ebor. Ex reg. Bowet Ebor. fol. 288.

CERTIFICATORIUM archiepiscopi domino regi directum (dat. 10. die Decemb. A. D. M.cccc.viii. et translationis secundo) indicat, quod virtute brevis regii (dat. 8. die mensis Maii, anno regni ix.) convocationem celebrari jussit apud Ebor. die 28. mensis Junii, et constituerit commissarios nomine suo synodo praesidendi: quod clerus illo tempore nullo modo flecti potuisset ad concedendum ipsi aliquod subsidium, causas excusationis rationabiles, prout prima facie apparuit, allegantes. Quod idcirco commissarii synodus continuaverint usque ad 10. diem mensis Decembris, cui archiepi-

scopus ipse interfuit, ac tandem multis rationibus clerum induxit ad decimam domino regi concedendum, sub conditionibus nonnullis.

Registrum Tho. Langley, episcopi Dunelm. fol. 22. synodus apud Ebor. 20. die Augusti coactam fuisse narrat super schismate papali; confirmat hoc reg. decani et capit. Ebor. III. fol. 28. quod 4. die Maii, 28. die Junii, 30 Julii, et 20. Augusti hujus anni clerum provinciae Ebor. convocatum fuisse refert fol. 26, 27, et 28. registri.

^a Tit. in MS. Lamb. ita: Poena violentium pertinaciter in aliquo hanc ultimam constitutionem, seu constitutiones praescriptas in aliqua sui parte, praeter poenas in eisdem positas. ^b Tit. in MS. Lamb. ita: Ut contra infamatum super crimin. haereseos procedi poterit summarie et de plano, ipso citato in forma subscripta.